

**A** moueat, aliud verò, quod mouentem ad agendum impellat. Est autem id, quod mouetur humor, qui quam tenuis est, calidus, multus, & nequaquam viscidus, & facillimè mouetur, contrarius verò difficile. Atque huius quidem causæ ratione fit, vt pleuritis gignatur, aut peripneumonia. Ex calido enim & tenui illa ferè fit: ex crasso, viscido, frigido, multo, pulmo laxus facilè repletur, inflammaturque. Pars verò vnde mouetur materia non solum fluxionis est causa, sed etiam facit, ut una pars potius, quàm alia inflammatione teneatur. Nam quæ valida est, rara, quæque cavitates habet per quas effluere materia potest, facile in alias reijcit, quod molestat: sic quæ in superiore loco est posita, causa est, vt inferiores laborent, & dextra, vt dextræ; & coniuncta, & vicina ut vicinæ afficiantur. Sic igitur caput dicimus esse pleuritis causam; quod ab illo moueatur materia, descendatque ad costas. Sic & vniuersum corpus causa putatur esse, quando sese exonerat in caput primum, deinde in latus. At pars quæ recipit, terminus est, in quem finitur motus, qui etiam causa est inflammationis. Nam quòd illa sit rara, mobilis, debilis, in inferiore loco posita, aut è directo ei, à quo incipit motus, aut coniuncta, aut quòd effluxus non habeat, per quos possit reijcere quod infestatur; uel quòd doleat, aut caleat, aut vacua sit, & caua, promptè fluentem humorem recipit. In pleuride verò recipitur humor non ob istas omnes causas, sed potissimum, quòd inferior sit pars, quæ laborat, & coniuncta cum capite per uenas: nec habeat uasa, per quæ reijcere possit quæ aliundè accepit. Adde quòd & debiliior sit ob frigiditatem, & caloris inopiam. Cæterum venæ, arteriæ, inaniaque spacia, & aliæ corporis uia, causæ sunt fluxionum, quòd per illas humor feratur. Nam quæ ab vno loco in alium terminantur cavitates, viam præbent promptam currenti materiæ. Porro mouent quæ attrahunt, uel impellunt, at ob attractionem nulla fit fluxio. Impellit autem vel propria rei forma, vnde vapor sursum fertur sua leuitate, & humor deorsum ob grauitatem labitur, uel id, quod expellit; quod quidem duplex est, uel ipsa (inquam) facultas expultrix, aut quod constringendi, exprimendique humores à partibus vim habet. Atque illo quidem modo dolor, copia, uel acrimonia humoris fluxiones commouent, quòd scilicet iritent expultricem uim, quæ postea quòd in parte est contentum, ac uicinum, extrudit; hoc uerò externum frigus, & adstringentia medicamenta extrinsecus adhibita fluxiones pariunt. Quæ autem liquant funduntque humores, fluxionum causæ esse videntur, quòd concretam, adhaerentemque partibus materiam liberent, quæ postea spontè pro sua natura sursum, uel deorsum fertur. Qua quidem in re apparet, quid sit tanquam efficiens, quidque illud impellat, quid augeat, foueat, constituatque malum, quid materia, finis, subiectum, & causa cum qua. Nam sanguis materia est inflammationis, & fluxionis, constituitque idem tumorem: subiectum inflammationis pars est affecta, termini uerò motus, & uia, per quem decurrit humor, causæ sine qua fluxio, & inflammatio fieri nequeunt, rationem habent, forma uerò, quæ mouet, & expultrix facultas, quæ materiam expellit sunt tanquam efficientes proximæ causæ fluxionis, paulo uerò remotiores ipsius inflammationis. Ipsa uerò materia, & dolor impellunt mouentem, expultricem, inquam facultatem. Hæc uerò aut omnia, aut plurima quum lestat, finis est, cuius causa vis ipsa propultrix excitatur. Hæc uerò aut omnia, aut plurima quum augentur, mali sunt auertrices causæ; quum uerò manent in eodem statu, conseruatrices; quæ uerò eas tollunt iuuantes; quæ illis fauent, lædentes nuncupantur. Ac ex his quidem causis plurimæ ad quattuor rerum genera, quæ mutandi corpus vim habent, nempe ad ea, quæ foris agunt, uel in corpus sumuntur, & retinentur, aut geruntur à corpore, & animo, reducuntur. Nam ciborum, positionumque multitudo, acrimonia, otium, cohibita excretiones, temperies apta ad sanguinis generationem, disenteria, hæmorrhoides, & varices intempestiue retente pleuritidem inferre dicuntur, quòd materiam suppeditent, qua illæ constituuntur, & fluxiones commouentur. Aer uerò ambiens frigidus, balnea, uinctiones, potiones calidæ, eandem pariunt, quòd materiam mouent. At frigidæ potio æstuante corpore eiusdem est causa, propterea quòd densat meatus, & liberum transitum humorum impedit. Quæ uerò excernuntur, & nimio effluxu debilitant partes corporis; faciunt, ut facilè recipiatur materia, quæ fluit, atque ita erigantur, tumores, & inflammationes. Patet & progressus in singulis causis, ueluti in materia tumor ex sanguinis multitudine, hæc ex repletionem, hæc rursus ex cibis, qui sanguinem plurimum procreare sunt apti, nascitur. Eodem pacto in efficientibus, si ita fortè contingat fluxus ex compressione, hæc ex adstringentibus, adstrictio ex refrigerantibus, hæc ab aere Aquilonio commouentur. Excitatur ergo ab his causis inflammatio in membrana, quæ costis subtenditur, atque illa est, quæ primario laborat, secundario uerò musculi uicini, & costæ afficiuntur; cor uerò tertio loco: Ultimo uniuersum corpus ob cordis affectum, nempe febrem, egrotat. Est autem pars, quæ primario afficiatur, non quidem princeps, aut nobilis, sed tamen publico munere donata; utpote quæ respirationis sit instrumentum; estque proprium in latere malum, quod nullum alium habet fomitem. Atque hæc quidem sufficiunt de causis pleuritis. Nam causas differentiarum quilibet ex his, quæ prædiximus inuenire poterit, quid scilicet magnæ, acutæ, benignæ, malignæ, veræ, non veræ, simplicis, compositæ, salutaris, lethalis, aut alterius differentia causa quomodocunque esse possit. Quare ad signa transeo, inter quæ illa primum

mum